* Monendi hic veniunt, qui propter omissionem alicujus boni sive fortunæ, sive corporis, sive conjugis aut prolis solatium omne respuunt, ut imitentur vatem regium Lib. 2. Reg. cap. 12. VV. 22. & 23. & Hussiticum. cap. 1. v. 21.

Q. 2. an per voluntatem dandi elemosinam Lysias acquisiverit meritum elemosinæ? ℞. affirmative quoad meritum essentiale: si voluntas fuerit efficax, ut data oportunitate esset operata, quia nihil in executione, quin prius in intentione: intentio autem est anima executionis. Non tamen quoad meritum accidentale, e. g. indulgentias; hæ enim operi, non voluntati annectuntur.

§. II.

De conscientia, sive proxima actuum humanorum regula, de erronea.

1. Bolena conjugata confitetur, se ex oblivione omisisse aliquando, quod, dum esset soluta, sit fornicata; inter quæstiones desuper factas invenit confessarius, quod cum consanguineo mariti in secundo gradu. 2. dicit: cum nuper essem gravida, ex appetitu subito me invadente in die Sabathi manducavi carnes, cogitavi quidem non esse licitum, sed sic perrexi. 3. addit: sum etiam valde aversa a meo marito, sed nescio quare. Et hinc 4. variis vicibus denegavi debitum conjugale. Dum confessor vult dicere dicenda, intervenit Bolena: adhuc unum. 5. Etiam dubito de valore mei matrimonii. Q. confessor: quare? ℞. Bolena, quia sic sum aversa a meo marito. Reponit confessor, nihil est. Q. 1. quid & quotuplex conscientia? ℞. est judicium intellectus practici dictans ex principiis communibus aliquid in particulari faciendum ut bonum, vel fugiendum ut malum. Alia vera, alia erronea, recta, falsa, certa, probabilis, dubia, scrupulosa, perplexa, laxa, pharisaica. Q. 2. an confessor debeat monere errantem? ℞. si pœnitens erret vincibiliter, absolute monendus est, sit vel non sit spes emendationis, quia est in malo statu, cum etiam sine monitione peccet formaliter, & sit periturus, qui tamen per monitionem forte salvandus. Si vero erret invincibiliter. ℞. vel est spes emendationis, nec graviora sequuntur incommoda, moneatur, quia confessor qua doctor & medicus debet etiam peccata materialia a suo cliente avertere. Secus non . . . . Sed quandonam judicandus errare vincibiliter? ℞. quando anxiatur, interrogat, dubitat, ex credulitate tamen *approbabili & discreta*, ut loquitur Innocentius III. *cap. inquisitione de sent.*

excom. Item quando error versatur circa præcepta primæ & secundæ classis secundum se sumta. ℞. ad 2. de se quidem dicendum, talem peccasse graviter, quia videtur ei fuisse perinde, qualecunque sit peccatum: carnes commedam, ita communior & probabilior tenet. Verum in praxi hæc sententia paululum moderanda, & dicendum, quodsi illa sit alioquin proba, non solita peccare graviter, quod ex confessione colligi potest, & ille appetitus subitaneus quodammodo judicium rationis perturbarit, non videatur damnanda peccati gravis propter defectum advertentiæ plenæ, sed instruenda in suo errore, quod tale quid faciens non peccet ad avertendum damnum proli imminens. Contrarium statuendum, si aliæ adsint circumstantiæ.*

* Obser. 1. circa rudes, simplices, pueros, dum de aliquo se accusant, quod ex conscientia erronea commissum, malitiaque tantum in communi apprehensa; attendendum esse ad statum pœnitentis ex confessione haustum, an sit timoratæ conscientiæ, habens horrorem peccati gravis, nec ne; & ex illo post unam alteramve quæstiunculam judicandus; alias enim, cum tales inter magnum vel grave, & inter mortale ex sua simplicitate distinguant, confessarius post multas interrogationes tam instructus erit, ac si nullas fecisset, totusque fructus temporis perditi erit fatigatio sui & pœnitentis, Aversio ejusdem a sacramento & confessario.

2. Hæc tamen dicta sint pro illis, qui eodem pene sunt semper genio, nec ab uno ad aliud deflectunt extremum, ut contingit homines dari, qui nunc devoti, postea omnino sunt dissoluti &c. juxta quod diversus humor forte in corpore regnat, tales enim sunt judicandi juxta statum, in quo fuerunt dum actum posuerunt; *sed dicis* hoc impossibile observatu in copia pœnitentium ignotorum. ℞. prodetur indoles per confessionem sinceram, & si non, procede secundum regulas traditas, & fecisti satis, alias enim hoc officium foret intollerabile.

Ordo præposterus sed necessario commutatus, quia exinde reliquæ fluunt solutiones.

℞. ad 5. Supposito, ut in casu insinuatur, quod Confessor præviderit graviora mala, ut desertionem conjugis, prolium, rixas, diffamationes, aliaque scandala, bene dixit, nihil esse; quia dubium nulla ratione suffultum non dubium sed scrupulus est; tale autem est dubium Bolenæ, etenim plures conjuges abinvicem sunt aversi, quin de valore eorum matrimonii prudenter dubitari possit. Accedit, quod Pontifices requirant dubium ex credulitate probabili & discreta. Denique cap. in mandatis dist. 43. dicitur: *quod, siquis ingesserit se, & provocaverit nos dicere, quæ eum minus recte agentem non oportet audire, prudenter eum oportet eludere.* Pringue Tom. II. pag. 182. & Tom. XI. pag. 296. ex his jam ℞. ad 3. quod confessor debeat Bole-

Bolenam admonere ad illam averſionem deponendam, atque ad verum probumque amorem conjugalem, non ſolum in- ſed et externum, alias eam fore cauſam plurium peccatorum tam ex parte ſui, quam ex parte conjugis. *

* Rationem averſionis explorare oportet, ut ſic confeſſor congrua præſcribere remedia valeat, ſed quia illa dicit: *neſcio quare*, hinc indaganda indoles Bolenæ, an ipſa non ſit cauſa, ut corrigatur; ſi neque hoc, eo fortius inſtet confeſſarius, ut reſiſtat diabolo diſcordiarum patri per devotas preces, per frequentem ſuſceptionem Ss. Secramentorum pœnitentiæ & Euchariſtiæ, per fidem, ſpem, & charitatem, de mane, veſperi, ac ſubinde per diem, & præcipue ubi averſionis motus inſurgit, ut contrarium faciat.

℟. ad 6. ex Sanchez poſſe (videtur debere) præcipi, ut reddat debitum, quia in circumſtantiis caſus redditionem debiti vitare nequit ſine peccato formali. Pringue ad hanc quæſt. dicit, non eſſe opus, illi præcipere, ut reddat debitum, poſſet enim illi dici: ſcire debes vi ſtatus conjugalis, quod denegatio debiti ſit peccatum grave, & quamdiu hanc voluntatem retines, retines voluntatem peccandi, ergo es abſolutionis incapax. Ex qualitate reſponſi detur vel denegetur abſolutio. *

* Quoad modum forte melius ſed quoad rem idem videtur.

II. Brictius 1. omiſit preces confraternitatis, ad quas judicavit ſe ſub mortali obligari, ſed confeſſarius tacet, ne edoctus de nullitate culpæ pluries omittat. 2. Incarceratus propter delictum judicavit ſe peccare non audiendo ſacrum in die dominica. 3. Idem judicium habet, dum in die paraſceves infirmus non audit ſacrum. ℟. ad 1. omiſſio precum confraternitatis de ſe non eſt peccatum, ſed propter errorem, quia non eſt ex fide. Confeſſarius peſſime tacuit, quia per omnia opera noſtra bona tantum honoris Deo non præſtamus, quantum injuriæ ipſi inferimus per unicum peccatum mortale, pariter loqui debuiſſet, etiamſi pœnitens tantum judicaſſet veniale. *

* Idem dicendum de docente, qui propter frivolas anxietates inculcat rigores & obligationes titulo purioris vitæ, ubi non ſunt. Unde ſicut peccat ſine fundamento ab obligatione abſolvendo, ita peccare poteſt obligationem, ubi nulla eſt, inculcando. Pringue tom. II. pag. 181.

℟. ad 2. judicando ſe peccare, dum incarceratus omiſit ſacrum, non peccavit defectu libertatis, niſi delinquendo prævidiſſet, aut facile prævidere

 potuiſ-

potuisset, tum enim illa omisio foret voluntaria indirecte. Ꝑ. ad 3. Si ratione infirmitatis potuerit absolute adire templum, & per sacrum intellexerit ceremonias illius diei, peccavit, quia contra conscientiam, qua non deposita, voluit peccatum apprehensum. Si vero infirmitas sustulit potentiam adeundi Ecclesiam, aut is intellexit sacrum proprie tale, non peccavit propter impossibilitatem. In ultimo tamen supposita potentia judicamus, illum debuisse adire Ecclesiam, quia erronee putavit, se obligari ad sacrum, & consequenter tenebatur ad id, quod poterat, scilicet ad Ecclesiam adeundam, ut videret, an haberetur sacrum, vel ad interrogandum, quia ad hæc liber, & absolute potens erat.

De perplexa.

III. Candidus infirmus judicat se teneri ad commestionem carnium tempore quatragesimæ ad conservandam vitam alias perdendam, sed simul judicat, se peccare commedendo carnes propter præceptum Ecclesiæ. Q. 1. quomodo deponenda conscientia erronea? Ꝑ. non temere (nisi forte temere ac sine fundamento orta esset, uti scrupulosis contingit) sed prudenter & deliberate, quia forte verum, quod error putatur. Deponenda ergo vel oratione, petendo a Patre luminum gratiam illustrationis, vel studio consulendo libros aut viros doctiores & probos. Hominibus rusticanis, uti & aliis rudibus sufficit dictum Parochi, vel confessarii, alia enim media illis non suppetunt. Q. 2. quid faciendum Candido in sua perplexitate, casu, quo illam deponere nequeat? Ꝑ. si utrumque extremum ex æquo peccaminosum judicet, faciat, quidquid velit, non peccat ob defectum libertatis moralis. Si vero unam partem minus malam reputet, hanc eligat, & non peccabit, quia ut dicitur in jure cap. *Duo.* & cap. *Nervi* distinc. 13. *qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur.* Si vero id, quod credit majus malum, amplectatur, peccat, non quidem tota malitia, quæ apparet, quia non tota adest libertas, sed secundum excessum malitiæ cum comparatione alterius malitiæ apparentis ut minor, quem excessum vel ut gravem, vel ut levem apprehendit. Ita Henno cum aliis.

De scrupulosa.

IV. Damasus vir honestus fugiens peccata carnalia, sed pseudo-politica, etiam gravia subinde committens, dum veniunt festa solenniora, vult quidem

susci-

ſuſcipere ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ſed ſentit horrorem, & tremorem, hinc ſemper differt ad ultimos dies Paſchæ, ubi venit cum magnis foliis præmittens ſcrupulos impertinentes, de quibus eſt ſollicitus, peccata autem gravia ad finem reſervat, hinc confeſſarii eum ſcrupuloſum, ac mere talia afferentem judicantes confeſſionem abruperunt, venit tandem poſt annos ad aliquem, qui totum audit, advertitque ſcrupuloſum quidem in confitendo Damaſum, ſed non in peccando, ſimulque poſt unam alteramve quæſtiunculam colligit, eum a variis annis non eſſe integre confeſſum.

Ad Q. quid ſcrupulus? quæ cauſæ? quæ remedia? uti & de modo tractandi ſcrupuloſum? videantur Sylvius, Sebaldus, & Neo confeſſarius R. Patris Reuter. unum remedium generale omittere haud poſſum, quod refert S. Antonius in ſua ſumma 1. p. Tit. 3. c. 10. de quodam ſcrupuloſo, qui a defuncto poſt mortem ei apparente petiit conſilium pro ſcrupulis; ſed aliud non tulit, niſi hoc: *conſule bonos & prudentes viros & acquiſce eis.* Q. 2. an confeſſarius pœnitentem ſibi prima vice ſcrupuloſe confitentem poſſit ſtatim judicare ſcrupuloſum? ℞. non auderem quia licet quis ſubinde ſit anxius circa multa, forte rationalis eſt anxietas, Lacroix N. 517. præſertim cum notum ſit, dari ſcrupuloſos in uno, & non in aliis; in confitendo & non in agendo. Denique tot & tanta privilegia ſcrupuloſis conceſſa concedere non plane noto (non videtur autem, quod ex una confeſſione poſſit eſſe cognitus ſtatus pœnitentis protantis) res mihi periculoſiſſima apparet, quare præcedentes Damaſi confeſſarios laudare haud poſſum. Q. 3. quomodo cum Damaſo procedendum? ℞. ante omnia 1. confeſſor eum ſollicite diſponat ad confeſſionem generalem, ſaltem a tempore, quo non fecit confeſſiones integras. 2. Juvet in examine ſuaviter, percurrendo decalogum, præcepta Eccleſiæ quoad ſpecies peccatorum Damaſo probabiliter obvias, præſertim ſtatum illius pſeudopoliticum. 3. Si hoc fecerit, concedatur, ut ter vel quater ſuperaddat, quæ adhuc incidunt; ſed tunc attendat confeſſarius, an non eadem referat, & tum ſemel pro ſemper interdicatur ipſi, ne ſe amplius de peccatis præteritis examinet. Hucuſque quoad rem Prickarz N. 114. 4. Timorem illum ſiniſtrum de confeſſione adimat inſtruendo circa modum examinis inſtituendi, & confeſſionis peragendæ, ut ſæpius confiteatur, & ſic laqueus diaboli conteratur. 5. Antitoda præſcribat, inter quæ contra Pſeudo-politiam ex cujus legibus unum genu Deo, alterum Diabolo flecti-

tur, mel in ore, fel in corde favetur. Videtur præcipuum, ut actus charitatis tam in- quam externi erga Deum & proximum sæpius eliciendi inculcentur.

De Dubia.

V. Elisabetha vidua varios celebravit contractus, ut dicebatur, periculosos, quia tamen postea a viris doctis audit, illos probabiliter sustineri licitos, omnem deponit anxietatem, judicatque se non peccasse. Q. 1. quid dubium & quotuplex? ℞. dubium est hæsitatio intellectus inter utramque contradictionis partem. Dividitur 1. In *speculativum* versans circa naturam rei, aut valorem actus secundum se, in *speculativo-practicum*, quod est circa honestatem vel inhonestatem actus secundum se quidem, dicens tamen ordinem ad praxin. Et in *practice-practicum*, quod est de honestate, vel inhonestate actus hic & nunc ponendi. 2. In dubium *Juris*, quando dubitatur de existentia legis & *facti*. An hic actus simpliciter, aut in his circumstantiis sub lege comprehendatur. 3. In *positivum*, ubi pro utraque parte habentur rationes æquales, aut fere. Et in *negativum*, ubi pro neutra parte apparent rationes, est potius nescientia. Q. 2. quid de Elisabetha? ℞. judicium, quo judicat, se non peccasse, est conscientia consequens, a qua malitia vel bonitas actus neutiquam dependet; vel ergo, dum tales inibat contractus, prudenter judicabat, se non peccare, & non peccavit, vel judicabat, se peccare, aut saltem dubitavit, & illius speciei peccato peccavit, quod judicavit, aut esse dubitavit. *

* Interrogantes de similibus non sunt redarguendi, quia petunt instructionem vel in ordine ad confessionem peragendam, vel ad similes actus deinceps rite ponendos vid. Prickarz Num. 30.

De Probabili.

Franciscus varia bona subhastans subornat emtores fictos, ut pretium augeatur, verum ab amico monitus, hanc praxin esse illicitam omnes libros probabilissimum docentes inspicit, sed ne vel unum inter eos, quos numerosos habet, invenit, hanc praxin approbantem; hinc altero die quidem ab illa abstinet, sed dicit amico: si vel unum reperissem mihi faventem, tua dicta sprevissem. Q. quid de sequela sententiæ probabilis? ℞. dum agere debes, age juxta probabilem, quando facta juxta conditiones rei & personæ, loci & temporis inquisitione debita non apparet alia aut tutior aut probabi-

lior

lior, quia ad impossibile nemo tenetur. Si vero contraria tibi subjective appareat verisimilior, illam sequares, si prudenter agere velis, cum enim objectum intellectus humani sit verum, ad illud meliori modo, quo potest, tendat, oportet. Si utraque tibi videatur æque probabilis, author tibi sum, ut eligas tutiorem, toties responsis Pontificis non tantum verbis consultivis, ut aliqui volunt, sed etiam præceptivis, inculcatam. Aliis omissis unica sufficit clementina: *exivi* de ver. sig. *ad evitandos graves remorsus conscientiæ pars securior est tenenda.* Q. 2. quid de Francisco? ℞. non putem, illum apud ullum probabilistam locum habiturum, etenim ille non verum sed quod sibi placitum quæsivit, contra illud Eccl. 32. *ante omnia verbum verax præcedat te.* Deinde agere paratus fuit secundum propositiones 28. ab Alexandro VII. & 3. ab Innocentio XI. damnatas. Quid ergo cum tali agendum? ℞. idem, quod cum illis, qui mere judicarunt, & practicarunt ut licitum, quia suo desiderio congruum.

§. III.

De *Lege sive remota actuum humanorum regula.*

POSITIONES.

Lex est *ordinatio rationis ad commune bonum, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* S. Thom. 1. 2. quæst. 90. a. 4. ejus conditiones complectitur canon 2. dict. 4. ex Isidoro: erit honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens &c. ad τὸ justa requiruntur quatuor causæ scilicet *materialis*, ne præcipiat quod malum, aut prohibeat, quod bonum: *formalis*, ut onera subditis imponantur cum proportione ad facultates. *Efficiens*, nec ultra potestatem. *Finalis*, ut ad bonum commune. Est tamen differentia, quod legem secundum causam materialem injustam implere non liceat, bene vero secundum alias causas injustam, quamvis subditus non teneatur. Dividitur in æternam, naturalem, divinam, hæc in veterem & novam, deinde in humanam, hæc in Ecclesiasticam & civilem. Potestas legislativa convenit communitati, aut ejus præsidi, talis communitas est Ecclesia catholica, ejus præses & caput visibile summus Pontifex. ergo, ut lex actu obliget, promulgatio requiritur, ut conditio insupplebilis.

De